

Q.K.
374,8

X 186 3128

1146
II h
118


DE
GALLORUM GENI

Ac VITIS; ad
JOAN. BARCLAJ

Jconem Animorum,
PRÆSIDE
GEORGIO CASP. KIRCHMAJERO,

Orator. Prof. Publ.
Differet in Auditor. Major.
WITTEBERGÆ, d. Januar. Anno clb lbc LXXXI.

RESPONDENS
ERNST SIGISMUND a Mergenthal
Eqves Misnicus.



Italor. Proverb.
I Francesi non dicono, come vogliono fare; non leggono, come scrivano;
non cantano, come notano.

Typis JOHANNIS WILCKII.



GALLIUS

JOAN BAR CLAI

GEORGIO CASP TIRCHMAJERO

ERST SICH



TRIN

FRANCIS

FRANCIS

R
L
P
T
3
-
1
m



REVERENDISSIMO. SERENISSIMOQVE.
PRINCIPI. AC. DOMINO.

DN. CHRISTIANO.

POSTULATO. ADMINISTRA-

TORI. EPISCOPATUS. MARTIS-

BURGENSIS. DUCI. SAXONIÆ. JULIÆ.

CLIVIÆ. ET. MONTIUM LANDGRAVIO. THURIN-

GIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ. NEC. NON. SU-

PERIORIS. ET. INFERIORIS. LUSATIÆ.

COMITI. MARCÆ. ET. RAVENS-

BURGI. DOMINO. IN. RAVEN-

STEIN.

PRINCIPI. AC. DOMINO. MEO.

CLEMENTISSIMO.

NEC NON
SERENISSIMIS. AC. CELSISSIMIS.
PRINCIPIBUS. ET. DOMINIS.

DN. CHRISTIANO.

DN. AUGUSTO.

DN. PHILIPPO.

DN. HEINRICO.

FRATRIBUS AC DUCIBUS SAXONIÆ,

Juliae, Cliviae & Montium, Land-

graviis Thuringia, Marchionibus Misnia, nec non

Superioris atq; inferioris Lusatia, Comitibus

Marcae & Ravensburgi, Dominis in

Ravenstein,

DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS;

Hanc qualemcunq; debitae pietatis

tesseram

mente manuq; subjectissimam

consecrat & offert

Servus devotissimus

ERNST SIGISMUND à Mergenthal

Eques Misnicus.



Ad
JO. BARCLAJ Icon. Animor.
CAP. III. seqq. de
GENIO AC VITIIS GALLORUM.

Superbiam fastumq; (Galli) non ferunt. Si vi-
deris dominari, servire erubescunt.) Animis
liberioribus & generosis odio non solum, sed &
execrationi est imperiosus, insolens ac fastuosus
genius. Id causæ, inter alias, cur Hispani Gallis
adeò exosi, propter fastum & superbiam, tan-
tum non intolerabilem. Hispani e. *Lansio* tume-
re suprâ superbix humanæ modum videntur. *Gravitate* fingunt cum
severitate affectatâ: quæ facit, ut odium sustineant nationum omnium.
Planè vivunt Hispani ex opinione tantum, imaginando & fingendo
nunquam facta, nunquam futura; credendo, quæ finxerint, prose-
quendo, quæ crediderint. Galli contrâ, nobiliores animi potissi-
mum. civiles, comes, & affabiles existunt. Conditor prolixi operis
des Estats, Empires & Principautés du Monde, au discours de la
France, nomb. 13. *Quod Nobiles Francia attinet, ait, hand credo, or-*
bem alibi exhibere magis strenuos ac lepidos. Francia Nobilibus adeò
est amata comitas, ut prodigii loco habeatur, qui in contrarium incli-
nat. Illud quidem ut demus faciles, non tamen capere id possumus,
quòd servire erubescant, si quis videatur dominari. Regni Gallici
nimirum interest, ut strictiori Monarchiæ vinculo contineantur
Ordines ac subditi. Ex prudentiæ intimæ recessu *Benjamin. Priolus*
(V. de rebus Gallic. §. 37.) refert: Quoties Gallus sessorem sentit in-
validum, abutitur sine modo lenitate Regentis, à fiducia veniæ factâ
peccandi licentiâ. Non regitur, nisi metu, populus le-
vis; nec ullus mortalium intrarius novit indelem gentis Armando

*Insolentiæ
osores Galli,*

*maximè Hi-
spanicæ.*

A

Richelio,

*Armandus
Richelius
Cardin. pri-
mus Gall. ca-
pistrat.*

*Jul. Mazza-
rini artes
regend. Gall.*

*Richelio, primo auctore Gallie capistrandae, & re-
pertore terroris. Hic, hic ille Regionum arcanorum arbiter, ingen-
tium historiarum capax, mortalium res universas mentis vastissimo
conceptu ventilans, humani generis fortunam infortuniumve
stabilire posse credebatur. Vi metuq; quod Richelius expressit,
mille artibus ingenii ac morum Mazzarinus facile obtinuit. Scri-
ptor rer. Gall. elegans lib. 1. §. X; Mazzarinus; inquit, fatis sive ge-
nio, apud subjectos, apud aequales, apud superiores, variis illecebris po-
tens: decorâ facie, sed multò maximè ingenio & solertiâ, cum usu re-
rum, ingentibus curis & successibus famosus; cuius neq; consilium, neq;
incaptum frustra erat. Huc accedebat tanta morum dexteritas; ut,
cum multos anteiret, omnibus tamen carus esset, vivendi arte invi-
diam vincens. His & talibus clarum fuit, Aulicarum rerum peri-
tis, brevi fore, ut solus apud nos rerum potiretur. Nec eventus sefellit.
Nunc attende, quibus artibus hic populorum doctor exterus indi-
genas alienigenasq; obligaverit ad liberalem debitamq; Regi ser-
vitutem exhibendam. Festis ceremoniis plausuq; ab exilio recepto,
cum pro auctoritate dominari etiam invitis posset, validèq; niti
contra adversarios, non abruptis discrepans in fidibus, sed reduxit pe-
detentim ad concentum. Oris pariter securus, sui lateris prater eâ dex-
teraq; factâ copiâ, blandum singulis arrisit, sparsis insuper misilibus in
vulgus. Sic jucundâ novitate veteres amicitias anteire, omni offensa-
rum acerbitate depositâ, restitui pristinis curis, egregio ab odio ad gra-
tiam deflexu: ut acerrimo iudicio Antenorensis Venetus observat
lib. hist. Gall. 9. §. 2.*

*Gallorum ad
excessum usq;
comitas.*

*Comitas, quæ frontis artificio luminumq; clementer vibran-
tium vel per sermonum familiaritatem blanditur,) Cum antece-
dentibus cohererent, & presentia illustrent, quæ Holsatiae Dux Slesvic.,
Joachimus Ernestus, Lansio auctore, attulit pro Gallia Orat.
Ut caelum inter omnia naturæ corpora pulcherrimum, idemq; splendi-
disimum est, & istarum virtutes planè supernates atq; caelestes, & di-
vinis proxima sunt: ita quoq; Gallia omnium terrarum florentissima,
& Gallorum virtutes omnino Gallicae, hoc est, heroicae sunt. Neq; enim
effeminat animos regionis amœnitas nimia; aut ad corrumpendum
illorum vigorem caeli indulgentia operatur aliquid: immò virtutis est*

CUM

cum summa rerum copia tale certamen; ut illa in imperio, hæc in obsequio gloria summam querat. Et quemadmodum virtus tantum in libero habitat animo; sic idem libertatis, quod Gallorum est, domicilium. Ideoque servi peregrini, ut primum Gallia fi-

nes penetraverint, eodem momento liberi fiunt.

Sed ut in laudando, sic in reprehendendo etiam oportet esse cautos rerum personarumque; serios æstimatores. Comitatus, aut nimia, aut decens. Illa comes histrionice indiciumque; simulationis; hæc hominis politici Aulicique; commendatio. Virilis alia, & fœminina quædam dici potest. Posterior hæc sexum nostrum dedecet; mirifice id propter ap. *Petrum Firmianum*, (Gallum de Gallis iudicem) in Gyge Gallo vapulans, per totum de *Androgynis* tit. ubi amoenissimi Satyricus ingenii præmissis de abusu isto pluribus, subnectit: *Prodigium istud nostra forsitan ætas non viderit? sed habet, unde erubescat, quod tot viri compositissimis comis, deglabrato in virginum similitudinem mento, ut oscula suaviora sint, vestium curâ, denique imitatione sermonis, ac vitæ odio tanquam se viros fastidiant, fœminæ fiunt.* Merito exclamat itaque sub finem: *ô certè dignos, qui in mulierum senatu honoratiores sedes habeatis; jus omne muliebri ita didicistis, ut illud à vobis fœminæ petant, quoties de venustate inter illas controversia oritur. Quid ad formam; quid ad mollitiem; quid ad mendacium oris pertineat, decernite iudices; dum fortioribus incumbunt, qui viri sunt, & enses in publici hostis perniciem stringent, quos gestatis innocios.* In verâ scilicet virtute morumque; suavitate aliquâ non simulatâ comitatus & non imprudens affabilitas consistens animos conciliat magnoperè; sic tamen exercenda, ne existimationem tui perdas. Oportet præ te feras aliquam *συμφορῆς*, facilitate luminum ac oris temperatam. Nec simulator artifex, nec Cato etiam morosus videaris. In dubio sit, utrum te ament boni magis, an revereantur?

Fideliùs Purpuratorum latus clientibus cinget, (Comitatus) quàm potentia magnitudo.) Oraculi habenda instar est sententia Nepotis in Dione: *miserandam horum vitam, qui se metui, quàm amari malunt: nullumque esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum.* Nec enim exercitus, sed nec thesauri saltem

Amor magis, quàm potentia, tuetur Purpuratos.

Regnorum sunt praesidia; verum amici: quos nec armis cogere,
nec parare autem queas: officio & fide pariuntur. *Claudiani*
animo

*Non sic excubiae, non circumstantia tela,
Ut tutatur amor.*

Pessimè iccirco doctor ab *Hetruria* armari metu potius, quam
amore Principem edocuit. Et Tyrannorum vox est: *Oderint, dum*
metuant. Discimus experimento, (verba *Plinii* panegyristæ pro
Trajano sunt,) fidelissimam esse custodiam, Principis ipsius inno-
centiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum,
munimentum non egere. Frustrà se succinxerit terrore, qui septus
charitate non fuerit. Armis enim arma irritantur. Id *Fabricius* in
Pyrrho hoste, *Alexander* in *Dario*, alii in aliis experti. Rex Arrago-
niæ *Alphonsus* huc respiciens pronuntiavit: nihil magis adverfa-
rii animos, quam mansuetudinis ac placabilitatis nomen flectere.
Tyrannus etenim tam timet, quam timetur. Et quantumvis
denso satellitio stipatus sit, ad periculum tamen solus est; sic contra-
mitis & amari dignus Imperans nil metuit malorum, quia nihil
meruit. Cum officiis Romani potius Imperium amplificarent, floruit
eorum Urbs, Regumque etiam asylum fuit. Dicto Sapientis, *thronum*
Regis roborat clementia. Non arces editæ, non montium infa-
na latera multiplicesque muri salvos præstant Purpuratos æquè, atque
mansuetudo. Exquisitissimè pernoverat, & dispensaverat per o-
mnem latè Galliam non modò, sed Europam artificium hoc
Mazzarinus, Purpuratus excellentior, & ad divinam bonitatem pro-
rior *Richelio*, de quo utroque memorabilis est comparatio *Prioli Ben-*
jamini 1. hist. Gall. 29. *Armandus magnificentia magnus habebatur;*
Julius splendore eum vicit. Illi severitas dignitatem addiderat; hic
mansuetudine & misericordia clarus factus est. Richelius profunden-
do & puniendo; Mazzarinus ignoscendo, & cautè largiendo gloriam
adeptus est. -Adversus Richelium peccantibus certa perniciēs; Maz-
zarino infensis in ipso Mazzarino perfugium. Ille cuncta vi tractare;
hic imperiosâ quiete. Ille Regni Gallici apprimè sciens; hic Orbis
terrarum notitiâ validus; & quæ sequuntur.

Richelii &
Mazzarini
contentio.

Opes

Opes omnes, & ipse vilior honoribus sanguis,) *Fastum Lanſig Avidiſſimè*
(Orat. contra Gall.) in ordine Nobilium tam alto incedere, ait, ſu- *bonorum*
percilio, ut vix fieri poſſit. Quotus enim quisq; inter eos familiam *Galli.*
ſuam cum Regio ſtemmate non conglutinat? Quotusquisq; avo-
rum & majorum catalogum non fingit ingentem? *Charron en l' hi-*
ſtoire univerſelle, chap. 62. p. 420. Les Gentils-hommes de France
ſont honneſtes & gracieux, taſchent d'accorder les querelles les uns
des autres. Se ſupportent fort, & ont toujours la valeur en telle
eſtime, qu'ils tiennent à peu de compte toute ſorte d'honneur, autre
que celui, qui a eſté acquis par les armes. Malunt (addit idem
porro) mortem ſubire, quam perferre lædi dignitatem ſuam. Unde
evenire ſolet ut plurimum, ut infortunium eos implicet duellis
mutuiſq; cædibus, ob levem cauſam. *P. de Lancre* au tableau de l'
inconſtance, liv. 4. diſc. 4. p. 437. teſtatur, in Italiam honoris & vir-
tutis cauſâ proficiſci Gallos, adeoq; nullis parcere ſolere ſuntibus,
ut æri ſuo ſervientes Italos, Romanos ipſos etiam, efficiant. *Le*
François va en Italie pour apprendre la vertu, & ſçachant le plaifir,
qu'il fait à l'Italien, de luy apporter des commodités; Il ſ'en va à
Rome avec troisfois plus d'argent, que ſon revenu ne vaut, pour en-
richir l'Italien. Bref, il y va ſi honorablement, que l'Italien ne des-
daigne de le ſervir. Cur Gallos igitur ad rem attentos nominârit
Scaliger de re Poët. l. 3. c. 16. quos ibidem tamen loci prodigos vo-
cavit in communi, haud conjicio.

Præcipuè patriciorum ſpiritus in ſuum, aut patriæ damnū Galli ad
ſapientiſſimè excrescunt, dum nemini eorum mercaturæ aut arti- pauperiem
ficiorum utiliſſimam diſciplinam capeſſere, ipſa inopia expe- ambitioſi,
rientia perſvadet.) *Rationem dat Barclajus conſequen-* *& quare.*
tem: Gentilitium fœdari putant ſanguinem, ſi populum viven-
di conſuetudine acceſſerint. In Francia itaq; Nobilitati non fo-
lùm dedecori eſſe Mercaturam, ſed & quando reperitur Nobilis
mechanicam tractare artem, aut, ut viciffim vendat, mercaturam
exercere, lucri cauſâ, derogare dicitur Nobilitati ſuæ, teſtibus
Charron. en l'hiſt. univ. chap. 105. p. 733. nec non Eſtienne Paſquier
liv. 2. des recherches de la France, chap. 15. Qui verè Nobiles dici vo-
lunt, Civitatibus (ait hic,) reliſtis domicilium ſibi ruri eligunt, non
ſolùm propterea, quòd maxima pars feudorum noſtrorum in ejus-
modi

Nobilitatis
suae vanissimi
ostentatores judi-
cantur.

modi praeiis consistat, quae conferebantur solis nobilibus & militibus: verum etiam, quod putent hac ratione evitari posse praesumptiones, quasi in civitate mercatura essent dediti; quae Nobilitatis splendorem obscurat. Conf. Tiraquell. quoque de Nobilit. Cap. 2. n. 61.

Vanum Nobilitatis nomen & magnifici otii improba species ad patientiam tristium curarum sufficit; Vix sine indignatione legeris, aut risu, quae Sieur D. T. V. Y. en ses discours de l'estat du Royaume de France, titr. de moeurs des François de ce temps, f. 62. n. 14. de Francicâ Nobilitate jactitat: *Je tien pour asseurer, qu'une armee toute composee des Gentils-hommes, François seroit invincible, & capable de donner de la terreur à tout le monde, & de se rendre victorieuse en toutes ses entreprises.* Nec vana minus, aut ambitiosa haec sunt, quae P. de Lancre refert au tabl. de l'inconst. liv. 4. disc. 4. *À la verité, il faut confesser, que le François sur tout est plus-constamment, plus noblement noble, & en degré superieur, que par un d'autre Nation,*

& le plus tendu aux exercices nobles. Prærogativæ hujus rationes si quaeramus respondebit Loysseau des Seigneur. chap. 5, n. 115. Illos Nobiles immunes esse à tributis, omnibusq; aliis personalibus oneribus quae exiguntur belli causâ: esse etiam ab hospitalatione militum immunes &c. Non ex vano tamen dixit Loys de Mayerne Turquet liv. 1, de la Monarchie Aristodemocratique p. 270. ubi
“ multi sunt Medici, ibi viget ingluvies, ebrietas, luxuria, salacitas,
“ aliiq; excessus multi grassantur, unde nascuntur morbi. Ita, ubi
“ superflua reperitur copia Nobilium, (maximè ut sunt hodiè in
“ Gall.) certissimum est signum pravæ ambitionis, temerariæ arro-
“ gantiae, ac simul magni otii.

Artes manu-
arias exer-
cent nullas
Nob. vitra-
ria exceptâ?

Hæc animorum celsitudo, quamvis sibi placeat, adeoq; ab omnis generis sordibus videatur abire; Cùm non accedant temerè ad consuetudinem cum populo vivendi, ut Barclajus supra scripserat, & ab omnis generis abire videantur sordibus, Gallorum Nobiles; quæ fiat, quaeritur: quòd ars vitraria tantoperè ap. eos aestimetur? Autor inclytus Antoine de Mont-Chrestien en l'OEconomie politique, p. 118. Nos Roys (ait) ont voulu, que les Gentils

tis homines seules peussent exercer l' art de Verrerie en France. Vi-
des solummodò Nobilitati artem licitam Vitriariam; in tantum et-
iam, ut nobilitare possit alios artifices. Ætate nostrâ celeberrimus
vitriaræ artis officinæq; Aurelianensis Magister, Dn. de *Perrant*,
pyrophago stupendus; de quo vide sis Journal des Sçavans ad Ann.
1677. Ingenio videlicet plus præstat illa ars, quàm opificio manuq;.

Tamen interdum penè necessariis facinoribus corrup-
pitur, in miserorum Penatum angustiis turbulentam indu-
striam exercens; ut vel publicâ violentiâ, vel arcanis sce-
ribus inopie squalorem repellat.) Pudenda & abominabi-
lis hæc seculi infamia; in Regno politissimo, in ipsa Regia Parisi-
ensi, inter Nobiles, aut Nobilissimos prosapiâ antiqvâ reperiri pas-
sim tales; qui cum non habeant, unde vivant splendide lauteq;, an-
tequam laborent, aut se artibus honestis dedant, malunt fieri latro-
nes publici, perenticidæ saculariiq;, concussores, venefici, & quid
non deniq;, divitiarum studio; ac quidem per societatem cuneos-
vé, quasi parum foret, singulos audere tanta. Obhorrescit ani-
mus, concipere, ne dum exprimere, quid omni pejor Cacodæmone,
propter tot patratas clandestinas, per venena cædes facere, ac pro-
fiteri adhuc artes scelestissimas, nefanda mulier *Voisnia* haud eru-
buerit; superiori anno laceratis prius artibus vivicomburio puni-
ta Nemese divini Regiiq; Numinis. Atrociora scelera, fidemq; pe-
nè omnem supergredientia recenset *Petrus Firmianus*, tit. de Hiru-
dinibus, in *Gyge Galla*, detecta per exploratorem *Charmionem*;
quem prolixè introducit differentem. Judicat *Machiavellus* (part.
2. oper. nelli ritratt di Francia p. 123.) *La natura delli Francesi è appe-*
tirofa di quello d' altri; di che insieme col suo, & de l' altrui è poi
prodigo. Et pero il Francese rubberia con lo alito, per mangiar-
selo, & mandarlo male, & goderselo con colui, à chi lo hà rubbato.
Viderit intereâ, quàm certò scripserit *Ludovicus d' Orleans* (aux
ouvertures des parlements, chap. 24. p. 297.) *Le vray François n' est*
que franchisé de coeur, sans art, sans fard, & sans fein-
tise. Non singulis nimirum individuis, quod nationis generi,
aut speciei; neque nationi tribuendum toti, quod tribuitur quibus-
dam.

*Immanium
flagitiorum
genitrix hæc
nobilis pau-
perias.*

Mer-

*Mercatura
an honesta
satis?*

*Mercatura illic vilior, quàm tante utilitatis rem esse
deceret, & quæ prima humanitatem per Orbem circumdu-
xit, & quæ sequuntur, usq; eo: statim in aliam disciplinam
filios suos agunt jubentq; majorem paterno fastigio scenam
sperare.) Non heri nudiusvè demum tertius hæc bellico-
sæ genti consuetudo placuit; antiqua est, & ante C. Julium in visa
Gallis mercimonia fuerunt. Minimè ad eos (scribit *Cæsar* l. i. B. G.
c. i.) mercatores sapè commeant, atq; ea, quæ ad effæminandos animos
pertinent, important. Idemq; lib. 2. c. 15. Nullus aditus est ad eos merca-
toribus: nihil patiuntur erui reliquarumq; rerum ad luxuriam per-
tinentium inferri: quòd his rebus relangvescere animos, eorumq; re-
mitti virtutem existimarent. Planè, velut *Apollonius Philostrato* in
vita ejus teste, virtutis inimicam dixit esse mercaturam, confunde-
bat cum abusu usum. Sine mercimoniis ac mercatoribus, nec rei
publicæ consistit dignitas, nec privatorum, ad necessitates omnis
generis, utilitas. Quid causæ igitur, quòd frugibus inventis glan-
de vesci, & incultam rigidamq; veterum simplicitatem adeò tueri
malint homines civiliiores? Cùm divinâ indulgentiâ*

Hic segetes, illic veniant felicius uvæ:

India mittat ebur; molles sua thura Sabæi.

*an Nobilita-
ti deroget?*

Favore ac honore digni igitur sunt Mercatores; qui pro publi-
co hanc nominis mensuram laudabiliter adimplent. *Utrum verò
etiam Nobilitati sit conveniens? an illi deroget?* dum quæritur, *Ste-
phanus* respondet *Pasquierius* des recherches de la France, liv. 2.
chap. 15. p. 163. *Nous avons gardé religieusement en France, entre
les Nobles; tenants non seulement pour chose indigne d'une Noblesse,
mais aussi estre fait acte dérogeant au privilege d'icelle, lors, quel' on
en trouve aucun, au lieu de l'estat de la guerre, exercer un estat
mecanique, on bien faire train d'une marchandise &c.* Ultrò ven-
tilans citròq; quæstionem *Tiraquellus* Tom. 1. Operum, de Nobili-
tate c. 33. f. 206. seqq. num. 20. *Constanter* (subjicit,) teneto, mer-
caturam derogare Nobilitati, per ea, quæ in principio diximus. Vide-
tur etiam *Lansius* ad hanc accedere sententiam, Oratione contra

Ita-

Italiam: *Quod Nobilitatis honorem omnium maximè hodiè prosti-*
tuit apud Italos, est, quod in illius acquisitione virtutis opus agunt num-
mi, & supremum fastigium cum mercatura sordibus indignè conjun-
gunt: cum in Germania nostra, in Gallia, & apud alias rectius sentien-
tes gentes, mercatura obstat Nobilitati. Eodem tendunt *Matth.*
Stephanus lib. 1. de Nobil. civil. conclus. 7. & seqq. Sinibaldus Ubal-
duus Axiom 53. & 55. de Nobilit. Simon Simonius de ver. Nobilit.
c. 15. p. 207 & Josias Nolden. de Stat. Nobilium civil. c. 22. n. 93.
seqq. Limneus tamen in contraria it omnia Tom. 2. Jur. P. 1. 6. c.
5. de Torneam. n. 74. & seqq. Plurimum videtur interesse scilicet, ut
solidum Nobilitatis fundamentum scias; ut deinde Mercatores à
manonibus ac institutoribus, negociationem rerum necessaria-
rum liberalem à lucrosa, vili, turpi atq; manuaria distingvas. Lo-
quuntur monopolia coemendi falis, cerevisiæ coqvendæ, ligna, la-
nam, animalia emendi, faginandi & vendendi, quid hi ipsi faciant,
qui vitiant virtutem. Neq; præter rem ridiculum videtur argu-
tissimo Trajano Boccalin. Cent. 2. raggvagl. di Parnasso c. 39. p. 220.
Che l' guadagnar con la mercatantia per se sia riputata cosa vergo-
gnosa, il rubbar, con le armi par altri, sia creduto essercitio honora-
to: Mercaturæ nempe lucrum conjunctum cum pudore; latroci-
nari autem armis (quod fit in militia) exercitium haberi hono-
rabile.

Magnitudinem Gallicorum animorum nullibi effica-
cius videas, quam in ambitu Magistratum, à quibus per vi-
cax licitatio jamdiu egentium virtutes exclusit. Postq; ali-
quando: Neq; ideò Fiscii industria malignâ criminatione car-
penda est, qui de ejusmodi Candidatorum bonis excrescit.
Et eadem mente: Hæc igitur tolerabili instituta consilio, jam
ipso furore licitantium in præceptis abiit, &c.) Laudat, aut
ad minimum excusat morem vendendorum Magistratum, ac pro-
mercalium honorum, non Barclajus saltem noster, sed Johannes
Isaacius etiam Pontanus in Itiner. Narbonens. p. 148. Ast apud ple-
rosq; veteres ac hodiernos, malè meritò hoc cacoëthes audit. Du-
dum impugnavit Aristoteles 2. Polit. 9. & 5. Polit. 3. Ad quem con-
ferendus locum Michaël Piccartus, Vir doctissimus in Commenta-

De Magi-
 stratum
 nundina-
 tionibus
 quid sit ha-
 bendum?

B

rio:

rio: *Loyseau des offices*, au liure i, chap. 4. n. 89. & *Francisc. Hotomanus* in *Franco-Gall.* c. 27. de *Parlamentis juridicialib.* maximoperè conqvesti sunt de Regni tabularii abusibus immensis his. Corrupte suprâ modum Republicæ hæc monopolia honorum, signa judicat, in vita Cæsaris *Plutarchus*. Romam olim morbus iste admodum afflixit; ut non præter rem *Jugurtha* cavillatus sit ap. *Salustium* de bell. J. *venalem ipsam Urbem, si solummodo invenerit emptorem*, ideoq; perituram fore. Primum e. tribunalia mercimoni genere turpissimo prostituuntur, propter licitantium malitiam. Accipere enim aliquid à suscepturis Magistratum, teste Cæsare *Justiniano*, (Novell. 8.) *omnis neqvitiæ principium existit*. Deinde aditus virtuti, sanguini, & artibus præcluditur ad publicos honores. Quò plus offert quippe licitator, hoc plus aufert citiusq;. Postremò fieri non potest, quin sibi vendere licere putet aliquis, quod emit. Hinc flagitia, rapinæ, homicidia, confusio commerciorum; confidete quovis, auro posse redimi patratum crimen. Præviderunt ista prudentissimi Legislatores, qui de ambitu conceptas graviter promulgaverunt leges, & armârunt poenis additis, si præce quis, aut pretio honorem redemisset Magistratus. Sive *Cæsar Julius*, seu potius *Augustus* ultimùm de ambitu hanc legem tulerit; (nam *Cajo* quis ambitiosior inter Romanos vixit?) credidit nimirum, stante ambitu non posse stare simul etiam Rempubl. *Antonini Severi* Severissimum edictum fuerat: *Se nolle dignitates vendere ac Magistratus*. Quomiam qui emunt, eum vendunt iterùm & ad expilandos cives, illis abutuntur.

Vendere jure potest, emerat ille prius.

Redeat hîc quoque in memoriam *Justiniani* monitum (Nov. 17. in pr.) *Oportet te purè sumentem administrationem &c.* In jure pariter Canonico meridianâ luce textus clarior: (in C. nullus, causa 1. q. 1.) *Nullus per ambitum ad Episcopalem honorem permittatur accedere. Nam cum hic excessus in Laica conversatione culpetur; quis dubitet, quin religiosi & DEO servientibus incutiat opprobrium?* Veruntamen jam dudum est, quo venalia Rome omnia *Mantuanus Vares* cecinit. Nunc sed *Barclaji* expendamus verba: *Neq; ideo fisci industria malignâ criminatione carpenda est, qui de*

Barclaji expendatur hæc de re sententia.

ejus-

eiusmodi Candidatorum bonis excrescit. Nam cui non satius videatur professo pretio dignitates à Principe, molem publicam subeunte, proponi, quàm avaris Purpuratorum suffragiis in prædam concedere? qui, ubi hac publicâ licitatione non est, obtrudunt Regibus Candidatos, quos sibi munera Charissimos fecerint, & quod à Domino impetrant, deinde clientibus vendunt. Ut nec meliore sortitu delectos Respublica accipiat; nec intersit eorum, qui ad tribunalia subvehi ambiunt, utrum cupiditatem dignitatis sub Principe, an sub Optimatibus luant; utrinq; pari sedere, in patrimonii ruinam percurrente. Hæc igitur tolerabili instituta consilio, &c. Fiscus, de Candidatorum bonis excrescentis, industriam *Barclajus* laudat. Occasionem, causas, & autorem (tempore *Ludovici XII.* Galliarum Regis) venditorum publicè officiorum, censualium nimirum; incrementa postmodum *Henrico IV.* imperante (sub quo *Pauleta*, h. e. jus muneris in familiis retinendi, certâ æris summa Regi annuatim persolvendâ redimendum coepit,) ordine exposuit *Agn. ven. Carolus Kirchmajerus de Reichwitz, de les Sur-intendants des Finances de France* libello, cap. 1. generali. Autor *histoir. de dern. troubl.* 1. 3. testatur, suâ (ante Annos LX.) jam ætate, à venditionibus officiorum, viginti Annorum spacio in arcas Regias illatos esse centum & undequadragesima milliones (liceat hæc uti voce,) libellarum Francicarum. Conf. quoque *Lans. Orat. contr. Galliam. Utilitas visa est justis prope mater & æqui.* Deinde molem urget publicam, quæ compensationem tot laborum & periculorum exigat, non minùs Principi supremo, quàm avaris Purpuratis debitam. Ad hæc & plura alia quid responderi soleat, non ignoramus; neq; diffitemur, ut in Galliis aperto modo licitæ honorum Magistratuumq; licitationes sunt, sic Germanos inter, ubi Principatus vigent maximè, in Aulis perquam multis malum istud serpere occultius. Ac utinam non temeraret sacrum quoque in nonnullis locis ordinem! In Galliis ad Regem & ad Fiscum redit ille quæstus; in Germania ad privatos illos, illos scilicet accipitres pecuniarum. Etsi habeat, quod etiam deside-

ret in illo Regno Petrus Firmianus in somn. Sapientis 4. titulo
Amphitheatri Gallici p. 429. *Questores, inqviens, qui Regia gaze
præficiuntur, cupiditas allicit; & quanti sunt, qui ex tactu non di-
tescant? Aurum istud, quocunq; fluat canali suo, ex parte adhe-
ret; & dum ad Principem per tot ministrorum manus properat,
prolixæ via, ipsa sui jacturâ, pretium solvit.*

Ex ambitio-
ne titulorum
que incom-
moda na-
scantur.

*Illâ libido titulorum, nisi ipsa se frangat, curias, tri-
bunalia, præfecturas tandem viliori sanguine angustisq;
animis maculatura.)* Haud dissimulare potuit Barclajus,
ex honorum ac officiorum nundinationibus libidinem tot titu-
lorum, ex libidine hæc curiarum, tribunalium & præfecturarum
corruptelas nasci. Præterquàm enim quòd vanissimum super-
biæ sit genus, plurimis & absurdissimis se jactitare titulis; cor-
rupti status publici certissimum indicium, fomesq; concertatio-
num sine fine, propter præcedendi axiomata, prurigo illa dici
potest. Annon idem verè, ad ambitionem hodierni circa titu-
los contagii accommodemus, quod in Decretal. volumine Bo-
nifacius edixit? *Cum ligneis uteremur calicibus,
aureos Sacerdotes habebamus; nunc aureos
habemus calices, ligneos Sacerdotes.* Hodiè quod
fal hanc defricabit scabiem? Aut quæ parietarias illas herbas
falx demetet? Olim virtutibus ac meritis concertabatur; nunc
dierum stolidæ de titulis contentiones, cum dispendio nummo-
rum exercentur. Nisi rerum merita & præmia respondeant
honorum, tituli sunt dericulus ac oneri.

Juventuris
Gallicæ pe-
tulantiâ in-
comparab.

*Istius gentis adolescentia ac juvenus in sano inc au-
rog impetu ut plurimum fervet. Vana in ejusmodi et a-
te libertas, nunc jocandi, nunc ignotos pariter notosq; la-
cessendi, & ubiq; titulos nimia securitatis affectans.)* Di-
sertissimè conqvestus de intemperie hæc est Alexandre de Poir-
Aymery, en l'Academie ou institution, de la Noblesse Françoisise
p. 17. Latine referemus mentem Viri: Nobilis in Francia ju-
ventus scapulas motat pluries, pedes rotat, manibus gesticula-
tur,

tur, caput circumagitat, quàm Sequana guttas aquæ habeat. Alienam homines personam induunt, suam mutant, studiosè balbutiunt, eqvo infidentes histrioniam exercent, ac omnib9 in actionibus ita sunt ridiculi, ut pictor fatui personam exactiùs repræsentare nequeat; & quæ sequuntur ibi admodùm emphaticè descripta Depinxit adhuc accuratiùs eorum mores Dn. Priolus 2. de reb. Gallie. §. 42. *Notatum hoc, (scribit,) ab ingenis gentis nihil ferè profectum, quod promittat immortalitatem: cum aliocui Gallia sit una totius Orbis provincia celeberrima, & ferax tot commodorum; sterilefcere in hoc uno, spiritus ad subitos jocos & facetias nati: extemporanea garrulitas ad aliquam forsan leporeis imaginem; mensas sectari, vagari per suas Academias; suam vernaculam sine fine concinnare, & idiomate interpolato gloriari; hanc aut illac garriendi causâ cursitare: non gaudere secreto otio, quod est unicum coagulum studiorum. Savissima amulatione decertare; unde livor deformis & derisa improbitas. Nec vulgi saltem hæc protervia; nec Masculorum modò, nec contra vile genus hominum. Post Regiam familiam quis major Mazza-*

”
”
”

rino atque eminentior in Galliarum Regno fuit? De hoc tamen Non par cen-
Scriptor laudatissimus jam allegato loco: Primus literatorum ulli, neq;
grex (cui tamen instituerat & dicaverat Bibliothecam,) morsicare Mazzarino
& arrodere Mazzarinum variis scriptis, sed non passuris longam
diem, ut plerq; Gallorum. - Fœminis, secuta Literatorum maledi-
centiam, in spondis, in circulis detractare; evolvere curiosè regi-
men, insidiari dictis & factis Mazzarini, studere ejus indoli, & mo-
ribus Viri magis magisq; indubitare. - Mazzarinus dissimulare, &
prudenti moderatione obviare assultui Cincrem passim sparge-
re dolosum, per quem cæci & ignari rerum humanarum incede-
bant, ut exitus comprobavit. Sed nullum certius vindictæ argu-
mentum, quàm à magnanimitate sumptum, spernere has deli-
tantis seculi injurias.

Ostentatio libidinis supra naturæ desiderium inepta,)
 Agnoscit ipsemet (au tableau de l'inconstance, liu. 4. disc. 3.
 n. 9.) Pierre de l'Ancre, popularibus suis objici; quòd in bellum
 ituri magnam secum ducant meretricum & concubinarum nu-
 merum; quòd procreent ibidem Martis filios. Æquè hodiernis

Libidinis
 excessus
 Gallos.

lo
 za
 li-
 e-
 at,
 ri-
 q;
 us,
 tu-
 um
 er-
 or-
 io-
 dici
 itu-
 Bo-
 us,
 eos
 od
 rbas
 unc
 mo-
 eant
 cau-
 eta-
 q; la-
 Di-
 Pont-
 poise
 ia ju-
 eular-
 tur,

moribus in Gallia perperam quæritur, an in scortationes & va-
gas libidines debeat animadverti? siquidem secundum mores
Franciæ, nec adulteria puniri magni licet nominis, *Jct9 Johan-*
nes Faber aliique scripserint. Quid? quod & Aula ipsa facit lenoci-
nium. *Lansius* Orat. contr. *Galliam*, p. 310. *Michel de Montagne*,
vir tamen celeberrimus, iisdem etiam in castris non sine gloria
se militasse, refert l. 3. c. 13. fortunamque suam in *Petroniana* illius
Quartilla comparationem pervenire posse, quæ *Junonis* iram
sibi imprecata legitur, si unquam se meminerit fuisse virginem.
Ne nunc de maximo Heroë illo dicam, quo de scribit *Scipio du-*
Pleix, quod ultra naturæ vires huc ferretur, ut nec exercitiis re-
ligiosis, neque matrimonio, nec ætate incremente, nec defectu
virium divelli inde posset. Elegantissimus Historicorum avi
nostri 2. de reb. Gall. §. 38. Hoc anno, ait, scorta & lenarum omne
genus Urbe pulsum; non Senatus consulto, sed Prætoris edicto.
Quidam asserunt, non paucos, sacris addictos ingemuisse tanta te-
tricitati. Vix atrociori lege approbatum, non esse curæ Magistra-
tus letitiam publicam; esse ultionem, & morum tristitiam. More
inter veteres recepto nullis sanctionibus libidinem fœminarum
fuisse coercitam: apud Græcos & Romanos licentia stupri ubique
permissa, etiam à summo Pontifice. Nec Republicæ unquam in-
terfuisse, quid faciat illa, vel illa de cute suâ. Satis supplicii in
professione flagitii. Ita narrabatur apud otiosos. Quidam inso-
lentiores eo usque progressi: Utilia esse generi humano ejusmodi
purgamina vitandis gravioribus. Meretricem, si rectè ponatur
calculus, nihil aliud esse, quam animal blandum, innoxium, gaudia
ferre paratum Viris sitibundis omnibus horis. Id beatius, illas
æstimare, quam illaborare officinis, ingemere agris &c. Ita isti
homines laudare adhuc, immò ostentare libidinis spurcissimæ
excessus solent.

NB.

Inrisores
aliorum
Galli.

Tunc inconsulti risus nemini que parcentes; vis etiam
intra se irrequieta,) Ridere æquidem humanum; sed
per risum nimium ac inconsultum poteris cognoscere stultum.
Nec enim despiciatui, solummodo, sed odio habentur etiam ad
seria intentis suspicacibusve. Risus hic Sardonicus proverbio

para-

paravit locum; quandoquidem perhibeatur interimere redenti-
tem, si amarulentior existat. *Catullus* epigr. 39. *Ridere catuli ore*
Gallicani de his dixit, qui diducto latè labio sic rident turpiter,
ut patulus sit oris rictus ad venatici canis Gallicani modum.
Ridere nectar Gallicana possunt *fœminæ*; quod *Veneri Petronius*
Chalcidiusq; tribuunt. Ab hac *Sirenium* svavitatem præstat lon-
gius abesse, quam à Virorum risu *Comico*.

Quidam in omnium exordiis rerum induunt non
veram, & ideo majore specie subornatam prudentiam, ve-
luti maturâ sapientiâ compositi, verba tardè euntia de-
ducunt lento vultu, & astum cum humanitate fingente.
Sed & virtutis simulatio tunc est ingrata, nec diu tamen
scientia personæ impatientem omnis veli levitatem ab-
scondit) Hoc nimirum genus hominum est inter Gal-
los, quos naturâ suâ esse stolidos in *Astronomicis Maternus* me-
moravit. Ad minimum in hos conveniat; quod *Michel de*
Montagne scripsit *liur. 1. des essays, chap. 25 p. 124. La Sagesse*
Françoise est anciennement en proverbe pour une Sagesse, qui
prenoit de bonheur, & n'avoit gueres de tenuë. Plura hujus ge-
neris vid. ap. *Limn.* In *Not. Regn. Fr. l. 1. c. 3. p. 73.* Prudentiæ
istius simulatæ frigus, id est, levitas dissimulata, quomodo co-
gnosci & repelli possit, uti velamentum detrahatur, docuit acutè
Scipio Claramont. lib. 9. de conjectandis animi affectibus c. XI.
& seqq. nec non ingeniosiss. *Marinus Curæus de la Chambre,* lib.
2. *Physiognom.* in præfat. ac in prim. c. 5. atq; 6. Est videlicet
nō illa eque scelerata, stulta tamen & ridicula eorū simulatio,
qui non se itè ac decorè fabulam hanc agunt; sed immodicè eā-
dem abutuntur, ut transluceant. De quibus *Tacitus Hist. 1, 45, 1.*
Quantò magis, inquit, falsa sunt, quæ fiunt, tantò plura faciunt.
Sic astutissimè præ cæteris *Tiberius Germanico* occiso, ut luctum
animo indueret invito, larvam ipsemet detraxit; partim quòd
non simulatè teget occultum odium Germanico vivente; par-
tim quòd studere nimis tegetet, dum super ejus obitu ingentem
ementitus luctum exclamavit: *Defleo filium meum, semperq; de-*
flebo;

Frigidi si-
mulatores

Nebo. Hinc argute Scriptor acer: *Periisse, ait, Germanicum nulli
jactantiùs moerent, quàm qui maximè letantur.* Sic cum qui-
dam factum suum nimis diligenter atq; curiosè excufaret, *Pli-
nius* 1. Epistol. 5. *Respondi, scribit, nunc me intelligere malignè di-
ctum; quia ipse confiteretur; ceterùm potuisse honorificum ex-
istimari.* Difficulus enim vultus, oratio atq; actio sic tegitur,
ut non appareat. Ac sæpiùs dissimulatio seipsam prodat; ve-
luti *Vitellius* securitatem nimiam mentitus, suppresso nomine
Vespasiani, magis de *Vespasiano* famam aluit. *Clapmar.* 1. de Ar-
canis Imperii 7. ad quem locum plura congesimus in Annota-
tis. Confer. eò etiam in primis *Verulamius* in sermonib. fide-
lib. ubi simulationis istiusmodi incommoda exponit.

*Medium te-
nuere beati
inter Gal-
los.*

*Ismaëlis
Bullialdi
laus & me-
moriam.*

*Media autem indoles, quæ nec Gallis certè deest,
letitiâ capacis animi exuberans, eiq; non effictâ pruden-
tiâ frenum imponens, eadem demum omni pretio major, &
ad sapientiâ simulq; hilaritatis imaginem exacta est.)* De
hoc argumento memini me aliquando collocutum cum Viro
inter Gallos haud solummodò, sed apud eruditos nullibi non
celeberrimo; ut discerem, quid causæ foret, cur hilaritatis ge-
nius & mutabilitatis, præter gentes alias excelleret in Gallis? &
ad ingentia momenta rerum tamen tolleret Francorum ani-
mos. Vigor quidam igneus allegabatur mihi. Opponebam
ego Italos. Agilitas in Gallis atq; promptitudo manuum pe-
dumq; laudabatur. Dixi, hanc ad dispositionem corporis spe-
ctare. Ventum deniq; ad hilaritatis & virilitatis aliquod tem-
peramentum. Apertè dicam: Annus agitur undevicesimus,
cùm à Serenissima Regina Galliarum Matre-Vidua in negotiis
commisissis mitteretur ad Poloniae Reginam Mathematicus in-
comparabilis, Dn. *Ismaël Bullialdus*, reduxq; iter faceret huc,
visurus Dresdam (quò ut appulit, non intromissum se fuisse, li-
teris familiaribus testatus.) non dedignabatur me, *Buchneri* gra-
tiâ, invisere. Propior sexagenario miscebat humanissimos ser-
mones gravitate. Animi capacioris adhuc spiritus exuberabat,
& prudentia certabat cum alacritate peramcena. Dicere non
possum quantum ei lepos in alloquio, in vultu moribusq; ingenii
judi-

judicii; vigor, in feriis sententiarum cursus, in doctrinis rari-
nibus thesaurus. Certè in memoriam exempli plurimum a-
pud me semper valituri adducendus fuit.

Illud autem in Gallicis moribus ac veluti facis triste, Galli extra
quòd benevolentiam, quâ in suâ regione hospitibus indul- Patriam
gent, extra patriam vix in suos cives expromunt. Quis cre- Cadmei
dat in exteris tam humano populo nõ satis convenire? &c.) fratres.

Lepidè Montanus, Lansio citatus contra Galliam Oratione, scri-
bit: *Mettez trois François aux deserts de Libye; ils ne seront par*
un mois en semble, sans se haceder & esgratigner Conqueritur
indignabundus de hæc rabie Gvilielm. Postellus, Mathematicum
olim & lingvarum exterarum Regius in Galliis Interpres, de
Rep. Atheniens. c. 23. *Sobrietate, continentia, obedientia olim Gal-*
li non tantum Europam totam subegere, sed & Asiam totam incur-
rendo terruere: nunc Venus, ingluvies, ebrietas, pervicacia or-
dinis, & Ducis contemptus, furta, caedes, rapinae priorum ci-
vium & popularium, nos deliciis involventes in contemptum ver-
tunt. - Verum frustra queror; capita non infrequenter sunt mem-
bris deteriora. Emulatio, invidia, pruritus litigandi, laxa in-
consulta; in res novas inclinatio hæc mala procreant. Elegan-
ter, ut solet, Firmianus in Amphitheatr. Gall. somnio sapientis
quarto: Fervet, ait, Gallicæ juventutis sanguis, suis concludi venis
non patitur; & si à publico hoste vulnus non instat, queruntur in
ipsa patria, qui frigido odio, & sæpè nec lesi, manus suas cruenta-
re non abnuant,

Tum occulta ludibria livorq; deformis, cum professa
odia, rixarum etiam ad peregrina tribunalia concives Proni ad
vocantium derisa improbitas.) Pleni querelarum libri ac jurgia ar-
sermone non Gallorum modò, sed & aliorum sunt, quantum pe- tesq; rabus
rè grassetur illa ibi animorum pestis. Etiam in levi actione sum- laris.
ptus in immensum excresecunt; ut mihi (verba sunt Limnai l. 1.
Not. R. F. c. 3. p. 59.) retulit Vir senectute venerabilis, & apud
suos bonæ existimationis, François Marchant: qui, quod in poli-
ticis considerationibus suis scripsit, ita se habere, sanctè affirma-
vit. *Facto deprehendi litem, quæ mota fuerat et non soluta octo*
libet.

opus Firmianus mediâ in
libellas taxationis, crevisse impendit ad duodecim millia libella-
rum, nec fuisse tamen terminatam. Non autem hic unicus est ca-
sus, qui mihi notus; verum sæpius composui lites, quæ motæ fuerant
propter quindecim, vel sedecim solidos, & postea expensis supe-
rante mille & quingentas libellas, aliasq; summas immensas. At-
que solâ hâc arte rabulariâ nutriuntur & ditantur infinita mil-
lia hominum, in Gallia Judicum, assessorum, advocatorum, pro-
curatorum, notariorum, scribarum, apparitorum, & id genus a-
liorum Legatur Hotomann. saltem Franco Gall. c. 27. de Parla-
mentis juridicialibus; ubi Regnum Rabularium jam sub Cape-
vingiis exortum esse profitetur. Nec mederi satis malo potuit
Antonius Matharellus, Reginae Matr. à rebus procurandis prin-
ceps, quamvis illâ parte Hotomanno contradicere adniteretur.
Cæsar, & ipse Marcellinus gentem nominant Gallorum avidam
litium. Et inde natus versus: Gallia caussidicos docuit facun-
da Britannos. Extat Claudii Seyfelli, Archiepiscopi Massiliensis
liber scriptus Gallicè de Monarch. Francia; cujus in cap. 5. hæc
sunt: Opinione mea plures sunt in una Francia scribæ, procura-
tores, advocati, & similes circumforanei, quàm in universo Orbe
Christiano: si alii omnes unum in locum conferantur. Neq; huic
est dissimilis Philippi Cominai querimonia lib. 6. c. 6. Legulejo-
rum copiam innumerabilem & litigandi studio. & infinitis le-
gum voluminibus haud præter meritum adscripseris. Gramon-
dus partim etiam fatetur, Hist. Gall. lib. 1. ad Ann. 1615. Ordina-
tionum volumina (les Ordonnances) habemus ad nauseam, & ad-
huc patimur leges quotidie novas. Paucis sæpè remediis & le-
vioribus curabis morbum, quem multitudo procurat & auget.
Ita, quæ tuemur legibus, per leges amittimus. Certè melius consu-
leretur Gallie penuria legum, quæ hoc facilius observarentur,
quòd plenius innotescerent. Legum mole obruitur populus, anxioq;
invalentes, aut abrogatas judicio abdicat omnes; ut legibus labo-
rare dici possit, perinde ac malis.

Adhuc fœdius in Galliarum visceribus peccant, qui
passim, tanquàm gladiatores ad arenam damnati subitis
peditis armisq; adultima discrimina committuntur. Rem

im-

immanem, & ad istius seculi probrum! &c. Quae b.
autem dementia? ritu ferarum, non ratione, sed impetu in-
iurias ulcisci, rerumq; suarum iudicium permittere penè
scenica arti?) Nusquam laniena hominum immanior:
 (dicente *Lansio* Orat. contr. Gall.) nusquam contemptus man-
 datorum contumacior. Interdicat licet Deus ipse, Ecclesia vetet,
 Rex prohibeat, & per Deum vivum juret, nulli gratiam delicti
 facturum, nullius intercessionem, ne Reginae quidem, auditu-
 rum; stet proximè carnifex; poenae etiam acerbissimae, gladii;
 suspendii confiscationis, sepulturae privationis, infamiae, laesae
 Majestatis, & aliae sequantur: quid tum? Galli rixari, decertare,
 furere, *υοιουαχεϊν* non desistent. *Le Sicur d' Audigier* (du vray
 & ancien usage des duels, chap. 1. p. 1.) autor est, frequentia ni-
 miùm in Galliis duella *sans licence, sans raison, sans cause, contre*
tout ordre, tout devoir, & tout respect, au mespris de l' aubori-
té Royale, & prejudice des droicts de la Couronne. Gravius &
 prolixius invehitur in cacoëthes hoc *Pierre Matthieu* in l' hi-
 stoire de France ap. *Limn* l. 1. Not. R. F. c. 3. p. 60. Et quamvis *Loy-*
seau des ordres chap. 5. n. 69. insolentiam hanc rusticæ, non Auli-
 cæ Nobilitati imputet; videtur frausus fraudem tamen, & ab
 aliis ridetur. Apertissimè fatetur *Firminus* in Amphitheatr.
 Gallic. somnio sapientis 4. (ubi horribilia recenset etiam exem-
 pla) *tanto Nobilium consensu morem hunc firmatum esse, ut pon-*
dere legem ipsam non aequaverit modò, sed vicerit, & palam culpa-
re audeat nemo. nisi qui se ignobilem profitetur, aut in eum ordi-
nem adscitus est, cui non licet à literator. sensu discedere; & quæ
 seq. Injecit tamen barbaro furori huic frænos Potentissimus
 Rex præfens.

Gallorum
 immanissima
 duella.

„
 „
 „
 „
 „

Hinc toties miserorum parentum intercepta consi-
lia, spesq; occisa, & propemodùm frustrà pax in Galliis;
quæ vix minùs patricii sanguinis, quàm si bello certatum,
publicè esset, in hac arenà hausit.) Si non fefellit calculus
Mornacium in observationibus ad L. 7. §. 2. ff. ad L. Aquil. intra
 spacium XII. annorum, usq; ad Ann. cl. Ibc IX. occisa sunt, per
 universam Galliam in duellis *octo ferè millia Nobiliũ.*

Nobilium in
 Gall. ex du-
 ellis strages.

Petrus Firmianus mediâ in pace ex duellis plus amittere præf-
diorum Regna Principesq; , ait , quàm vel caderent hostili
Regna Priat

Barbarus
à Barbaris
mos duellor.

Feragentes & ab ipsa venientes Barbaria orbem suprâ
aliquot secula suis moribus polluerunt. His autoribus
quondam factum, ut in dubiis judiciis, cum utrinq; argu-
menta essent obscura, armis litigantium crederetur. In
circum arenamve dimissi pugnabant; victus pro nocente
babeatur.) Longobardi veteres, deniq; & Saxones ad
decidendas controversias (cum inter arma leges Mar-
tius silerent seculis,) Monomachiam elegerunt. De Ger-
manis priscis *Tacitus* in moribus ipsorum refert c. X.
bellorum gravium eventus isto genere auspicio-
rum Teutones captasse. *Ejus gentis, cum qua bellum erat,*
captivum quoquo modo interceptum, cum electo populari-
um suorum, patriis quemq; armis commisisse. Victorian
hujus vel illius pro præjudicio acceptam. Itum seculis
cadentibus à medio ad excessum; à publicâ auctori-
te, ad privatam. Svevos Francosq; etiam infecit illa
lues. Quam in rem plura annotavimus ex *Speculo Sve-*
vico Saxonicoq; Commentar. ad Tacit. Augustus Vische-
rus prolixissimè peculiari libro de Duell jure consu-
lendus est imprimis. Sed an & ap. Gallos publicò aucto-
ramento mos hic barbarus approbatur? *Firmianus*
equidem in *Sapientis somn.* concedit ex hypothesi:
Nec illud, inqviens, Rex seriò prohibuisse creditur, quod
aut silentio præterit, aut etiam præconiis ornat, quoties
de aliquo refertur, qui prior duellum obtulit, vel accepit
provocatus. Exemplum memorabile *Frossardus* lib. 3. *Histor.*
Gall. sub init. recenset, quod propter raritatem non pigramur
adducere; quantumvis aliquantò sit prolixum. *Evenit in Galliis,*
ut quidam genere Nobilis, è familia Comitum Alenconii, per vim stu-
praret

praret alterius cuiusdam Nobilis viri, peregrè profecti, uxorem;
 quæ simulatq; maritus revertisset, lacrymis oppleta commemora-
 re vim sibi factam. Ille crimen deferre ad Alenconium: alter
 negare factum pertinaciter. In quem, cum aliquanto esset pro-
 pensior etiam is, apud quem fuit instituta accusatio, qui inju-
 riam passus erat, ad Senatum Parisiensem appellabat. Per an-
 num & eo plus agitata causa. Cum & uxor intentare crimen,
 & ille constanter negare, statutum est; ut monomachia litem
 finirent. Certo die, quem aut ipsi delegerant, aut Arbitri præ-
 scripserant, congressi sunt, equites primum, inde pedites. Non hic
 cæca fortuna, (quæ solet alioquin in ejusmodi rebus dominari,) sed
 æquitas potius, & virtus exerere suas vires. Nam qui sua con-
 jugis pudicitiam vita sua cariorem habuit, & in eâ propugnanda
 capitis periculum non reformidavit, necato adversario, palam fa-
 ciebat omnibus, esse vindicem Deum; qui scelerum impunita-
 tem non ferat. Interemptum illum, carnifex pertractum ad præ-
 tibulum, postea suspendit, quem si vincere contigisset, jam ex de-
 creto Senatus illa quidem propterea, quod falso credita fuisset ac-
 cusasse, flammis objecta: maritus autem eo, quo adversarius, igno-
 minia genere, post mortem etiam affectus fuisset. Victorem exi-
 miis laudibus efferre omnis Nobilium turba, & prædicare in eò
 virtutem. *Quin & Gallie Rex honestissimam*
quadam animi inclinatione, minime permittens e-
gregie factis honorem suum abesse præmiaq; & presenti
illum munere non contemnendo & certis de-
inde proventibus, quoad viveret, locupletava-
vit, auxitque.

Inani superstitione verborum, & propemodum,
 gratis dissociati, alterno cruore imbuuntur: quodq; ulti-
 mum furoris gradum putes, ne inter se quidem lesi, sæpe
 aliorum inimicitis charissimos immolant: De Italis re-
 latio non vana ap. B. Scardeonium in descr. Patav. ac plures
 alios

Casus à castis
 sis ridiculis
 deplorandis



alios, citatos *Lansio*, occurrit Erant in familia *Liminea*, inter Patavinas admodum antiqua & illustri duo fratres; qui in praedio per aetatem commorati rustico innumeras sereno coelo stellas contemplati, votorum stolidum certamen iniverunt. Alter alteri per jocum subridendo dixit: *Utinam tot mihi essent boves, quot in caelo stella!* Alter jocum joco pensaturus respondebat: *Utinam verò mihi esset pratum caeli amplitudine.* Et ad fratrem conversus: *Ubi tuis bobus, ait, pascua sic inventurus?* Rogerebat alter mox: *in tuo prato.* Alter autem: *quid si nollem?* Iracundo propior hic illi: *te etiam invito pascerem.* At iste: *tu ne me invito?* Demum ille: *utiq; te etiam invito.* Ita à ridiculo ad exprobrationes, ad rixam, ad furorem deniq; progressi, & ad fidas, mutuis vulneribus se crudelissimè interemerunt. Levitatis parùm disparis exemplum *Firmianus* memorat non semel allegato loco. Nuper cum ad Christi morientis anniversarium diem tota Ecclesia gerneret, quidam (apud Gallos) Nobilis flexis genibus, pectore in humum demisso volvebat ap. se Domini sui mortem: cum subito ignoti vultus nescio quis pallio tractum submissè monuit, extra urbis muros expectari ab alio, qui petitus injurià postulabat de utriusq; animis, & fortunæ felicitate ense decernere. Non excusavit Numini vir devotus, quòd ad caedem festinaret; illic sedavit gemitus, quos divino funeri dederat, & ne videretur coactus ire ad certamen, ori praelium citò annuenti modicum etiam risum addidit. Desertis sacris ivit.

Severissimè hanc damnat rabiem in Gallis *Jl Cavalier Ludovico du May* nell' osservazione di *Trajano Boccalini*, Sopra il r. lib. delle Storie di C. Tacito dagli avvertimenti, f. 467. *Quei popoli più feroci, più barbari, & più crudeli di Canibali, d' Scitbi, de' Turchi? Il Padre non perdonava al figlio, e questo ammazzava il padre; & quæ sequuntur ibi plura.* Miratur non tamen sine stomacho, *Gramondus* Historiar. Gall. lib. 1. ad Ann. 1615. postquam horribile duelli specimen, nec non *Fenolietti* Episcopi *Mompessulani* invektivam contra Monomachos publicam exposuisset, Gallos, qui passim sint mutabiles, in ea pugna genere adeò constantes esse, ut non Dei, non Regum legibus, non mansuetudine flecti possint, ut ex gladiatoria palestra transeant ali-

aliquando in mores Christianos. Quod prohibuit laudabili affectu pestilens certandi genus Rex Justissimus LUDOVIC. XIII. hoc effectu penetranti felicissime inhibuit Rex Potentissimus, LUDOV. XIV. & crudelitati barbaræ injecit frænos. Quamvis enim adhuc clanculum, in locis etiam remotioribus ab Aula, mutui ad dimicandum istiusmodi congressus serpent; de occultis tamen ut non judicat Ecclesia, sic nec Respublica. Edictis nempe Regiis hæc laniena effera bonorum & honorum omnium, ipsius vitæ etiam privatione, sepulturâ insuper decorâ omni penitus negatâ, cessat.

Appendix de LUPANARIBUS, ad

lit. B. 3. fac. 2. sign NB.

Digna monstris hominum (*Caligula, Nerone, Elagabalos*) ergasteria, in publico domiq; perditissime indulta olim Aulicis, clientibus, servisq; Rem in malam abeant, quicunq; perivaserunt Hispanorum Regi, *Philippo II.* Annô 1571. condendi rem in illam leges promulgandi etiam *Madriti*; quas *Jo Mariana* refert de spect. c. 7. ac defendit *Sandaus Maximilianus*, *Lojolita*, & (quem alibi in annotatis castigavimus) *Clapmarus* lib. 5. c. 19. scribens: *Hoc quoq; jure Lupanaria colorari posse, existimo: quæ passim propter hominum libidinem in vastis Rebus publ. conceduntur; ut nimirum avertantur supra honestissimarum foeminarum.* Quasi verò permittenda (per se) mala sint, ut (ex accidenti) bona inde aliqua eveniant? Quàm rectior hæc parte *Claudius Espencus*, Theologus *Parisiensis*, lib. 3. de statu Vituitatis per tot cap. 3. videtur. Abhorruerunt nempe ab hæc foeditate *Vandali* non modò *Barbari*, ac *Wisegothi* sed *Germani* universim nistri olim. Testis *Tacitus* de *Germ. morib. c. XX.* *Paucissima in tam numerosâ gente adulteria: quorum pœna præsens & maritis permiffa. Accisis trinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit. Publicatæ enim pudicitia nulla venia. Non formâ, non ætate non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet; nec corrumpere & corrumpi,*
secu-

seculum vocatur. Pudeat civilitatem nostri seculi! Inve-
ctus meritò in illam labem Pontifex Romanus Paulus V. de quo
Thuanus hist. lib. 89. scribit: *In meretrices, quarum Roma à
multo tempore frequens ac publicum mercimonium est, multa se-
verè decrevit, (Paulus V.) quas aut urbe quàm primùm excede-
re, aut nubere. Et si non parerent, publicè flagellis cedi iussit. Cum
verò moneretur, inter tot calibes, sublatis fœminis, majoris vitii,
quod Roma jam olim B. Paulus exprobravit, periculum subesse ita
eas tulit, ut lupanari includerentur, nec, ut priùs, liberè per totam
urbem interdum noctuq; vagarentur, ratus pudore utrinquè incus-
so. Et illas priori vitæ renunciaturas. Et viros infamiam veritos ad
ea loca non ituros. Quæ verò in meretriciâ professione moreren-
tur, in sterquilinio defodi mandavit. Intercescit initio Urbis senatq;
à sacro ordine, qui palam non audebat, clam
instigatus, hoc decreto hospitiorum pretia vilescere, Et ad ni-
bilum redigi, Et libertatem antiquam tolli, indeq; quod dixi, peri-
culum imminere dictitans, nec matronarum pudicitiam inter tot
calibes integram, Et inconcussam aliter servari posse, nisi pristina li-
bertas restituatur. Nihilominus in proposito mansit Pontifex, Et
cùm rursus instaret Senatus, subirato vultu interminatus est, nisi
castigationem admitterent, se Urbe raigraturum, Et alibi
sedem Romanam translaturum. Hæc Thuanus.*

S. D. G.



Debellas Hydram vitiorum, ac ora Meduse
Detegis, ut Virtus emicet inde Tua.

Maeste animo! Tibi nam, quascunq; labore pa-
abul non rasti,

Victrices palmas Patria grata dabit.

ABRAHAM CALOVIUS, D.



GAllica gens virtute potens vitiisq; super-
bit,

Ultra horum potior, dicere nemo potest.

^{f.}
JOHANNES MEISNERUS, D.



Magnæ Virtutes Gallorum, prædicat omnis
Lingva Viros, quorum fama per astra volat.

Gloria Virtutis quoque commendatur in hoste,
Virtutis vera nescia fama mori.

Maxima sed pariter Vitiorum messis in illis
Regnat: & hic Populus plurima curva colit.

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis,
Dum fortuna boni dicitur ansa mali.

Quælibet & Gentes, nativi seminis instar,
Et bona multa fovent, & mala multa tenent.

Hoc bene nosse, probeq; satis discernere posse,
Non nisi prudentis, multisciiq; Viri.

Hæc tua cura modò, tua nunc Generosa cupido,
Promptus ut ostendas Nobilitatis opes.

Perge! PATRIS MAGNI Vestigia Magna seqveris,
Et PATRIÆ, atque Bonis commoda larga seres.

Generoso Dn. Respondenti felicioris ominis ergo

^{f.}
JOHANNES Deutschmann/D
D Sacri

Ad
Generosi Strenuissimiq; DN. PARENTIS
Filiū Nobilissimum, de
GALLOR. Genio ac Vitis non sine laude
RESPONDENTEM, suum:

A Rma dedit sanguis; polit at clarissima Virtus
Ingenium; doctus sudor & illa parat.
Sanguini & Ingenio, Virtuti ac Artibus insta!
Sic eris ERNESTUS, sic Generosus Eqves!

gratulabundus

PRÆSES.



C Ujusvis populi varios pernoscere mores,
Non sanè insigni laude carere potest.
Materiam laudis, vitii spectare licebit:
Quod Te in Gallorum gente notare iuvat.
Hæc Tua mi Fautor, Musis incepta probantur.
Maacte animi! Studiis digna brabæa ma-
nent.

MICHAEL Strauch/
Mathem. P.P.



V irtutis studio vitiorum stigmata monstras,
Quæ fuscant Solem nubila, Galle, Tuum.

Quisq;

Quisq; suos patimur manes; ast improbus ille
Qui coecus proprium non videt ipse scelus.
Te Generosa vebis passim super aethera virtus,
Quae nunc in vitiis exerit usq; capuc.

Michäel Walthertis, P. P.



Madrigal

Als Schwarze Pech der Laster
Kan keinen Tugend-Schnee besudeln.
Der Unschuld edles Pflaster
Vertreibet die Französische Gifft/
Die faule Seelen trifft.
Was der von Mergenthal beprobt
Wird in der Welt gelobt

Nebst schuldigsten Glück. Wunsch erwiese
Seine Ergebenheit

Johann Thiele / M. D. und

P. P. Extr.



Epigramma.

In Gentilitia Dni Respondentis Insignia

Cur depicta Tuis jaetas Insignibus alba
Lilia; quum maculent turpiter illa Viros
Scilicet: ut Vitius Virtus emersa, resultat;
Sic Tua, pra Gallis, candidiora cluunt.

Affectus causâ lusit.

Georgius Daniel Rehlin.

Qvis

27 118
Qvis Rhadam anthus adest? habetas jam, Galle, pudorem

Dum Fescenninos Tibi nunc Vicinia monstrat.
Cynthus haud sine labe nitet: quæ mira videntur
LILIA si fuscant maculæ? GENEROSA Propago
MERGENTHAL, Labor Aonidum, Tu Gallica pingis
LILIA; sed non nent. Quæ Clotho stamina rumpat
Non est, Ast celebret dignam quæ Fama per Orbem
Nomen adest. VIRTUS. VITI. SINE. LABE. TRIUMPHAT.

*Generoso Dn. Respondenti Honoris
& Amoris ergo*

f.
M. GEORGIUS GASSITZIUS
Hung.




GAllorum Vitiis, Virtus Germana, superbit,
Gestu, cincinnis ebria, tota scatet.

Quid mirum: Virtus, si quæ peregrina, redundans
Crimine, in exemplum, polluat atra Lares.

Ast Te, de Vitiis, palàm, qui differis, opto,
Virtutes maneant, præmiaq; alma feras,

*Amoris & Honoris ergo
fecit Img.*

Fridrich Wilhelm a Reichling/
Eqves Thuringicus.



VDTT



HAJERO

GAI

GEOR

DE



R
L
P
T

